



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Auaritia diuersi mode consideranda.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

contra charitatem non militat, sed officiosa tantum est, inter venialia computatur.

Auaritia diuersi mode consideranda.

Auaritia dupliciter sumitur. Vel ut opponitur iustitiae, & sic significat iniustam voluntatem accipiendi seu retinendi alienum. & est manifeste peccatum mortale. Et iuxta hunc sensum, usurarios, fures, latrones, negotiatores, fraudulentos, &c. auaros dicuntur. Vel ut contrariatur liberalitati: & sic significat inordinatum appetitum pecuniarum. & sic communiter est peccatum veniale. Iuxta hunc siquidem sensum auari vocantur tenaces, & parci in dando. de quibus dicitur, quod auaro deest tam quod habet, quam quod non habet. Et similiter qui tota die ac nocte in angustiis aut laboribus sunt, ut acquirant quibus non egerint. Dico autem communiter, quia tantus posset esse effectus ad acquirendum aut retenendum, quod esset peccatum mortale: putat si actualiter præponeret acquisitionem aut retentionem saluti animæ sue, non curando propterea transgredi Dei aut Ecclesiæ præcepta. Simpliciter autem & absolute non est peccatum mortale ex suo genere, quia non est contra, sed præter charitatem.

Audaces autem quare dicantur vitiosi.

Audacia nomen est passionis animalis, sicut & ira & timor. Et iuxta hunc sensum dicitur quod fortitudo est circa timores & audacias. Sed translatum est audaciæ nomen ad vitium oppositum fortitudinis virtuti per excessum. Iuxta quem sensum audaces reprehendimus, qui scilicet immoderatè audient. Et si pura est, communiter est peccatum veniale, sicut immoderata iracundia & immoderatus timor, quia non contrariantur charitati, sed à recta exorbitantia regula.

Divinatio